

### III.

# NEOVIDENSIS

Nro. 92. (*Neovidensis* 1805. Nro 95.)

*Secretum litterarium commercium vivos inter,  
ac mortuos.*

Epistola data a Secretario cursus publici ex  
campis elysiis ad Caesareum cursus pu-  
blici magistrum in Germania.

Elysium. -- Meum. - Die Veneris 13. Dec 1805 (Neov. 26. Nov.)

*Dilectissime Collegarum!*

Accipe descriptionem diei festae quam nuper  
in Elysio celebravimus; in Elysio inquam, ubi  
gratus animus, & justitia in suo vero valore  
compareret, ubi institutum nostri officii magnam  
meretur considerationem.

Vix erat divulgatum, nostrum beneficium  
Principem, Carolum Anselmum a Thurn, &  
Taxis die 13. hujus ex orbe bellicoso exces-  
sisse, illico convenere omnes officiales, qui  
in adeo utili cursus publici instituto, ad illu-  
strissimam familiam a Thurn, & Taxis per-  
tinente, inde ab anno 1574 operam navarunt,  
ut defunctum in beatas aeternae quietis sedes  
introducerent. Huc accurrerunt etiam illustres  
hujus domus majores ex celebri familia *de la  
Tour d'Auvergne* oriundi, potissimum autem ter-  
tio genitus filius *Gerardi de la Tour d'Auvergne*,  
qui Saeculo II Mediolani domicilium fixit, &  
re ipsa hanc stirpem ad dignitatem Principis  
evexit, debito cum honore excepturi suum co-  
gnatum. Inter illos videre erat heroem Tu-  
renne, primum gallicum Granatarium *la Tour*,  
qui in Sylvania cecidit, multos celebres Genera-  
les ex Germanici Imperatoris exercitu, & alios  
domui Thurn-Taxianae cognatione junctos.

Me tamen nihil magis rapuit in admirationem, quam intueri immensam multitudinem cursus publici officialium, qui ab anno 1574 in hac nostra illustri domo maneribus fungebantur, modo autem gaudentes, & gratum animum praeseferentes advolarunt. O dilecte Collega! nemo vidit tam numerosum exercitum, nunquam exstitit in Germania Princeps, qui tam multos ministros in comitatu suorum majorum potuisset producere. Singulare mihi visum est illud, quod ex oculis omnium horum tranquillitas, & pristina felix conditio emicuerit. In nemine observatum est aliquod taedium, aut animorum divisio, omnes jucundissimi uno ore clamabant. Nunc iterum venit Princeps ex nostra domo; nunc iterum Pater, & benefactor est mortuus; qui succedit, etiam talis erit; haec est haereditaria virtus nostrorum dominorum, hic vetustate firmatus ordo in regimine. Grates sunt, & honor Serenissimae domui Thurn-Taxianae; felicitas nostris posteris! illi paterne habebuntur, nullus in Imperio Germanico Princeps ita sollicite eos, eorumque liberos curat, quemadmodum nostri Principes. Ab initio usque ad hodierna turbulenta tempora non elanguit eorum liberalitas, altas illa egit radices in eorum animis; Illi nos considerant tanquam suos propinguos, sed quid dico, tanquam suas proles; curam enim habent antiquorum servorum, viduarum, & prolium.

Si aliqua in orbe terrarum familia meretur gratum animum, primo loco meretur domus Thurn-Taxiana. Audiant hoc invidi, & sugillatores, sed etiam victores, qui vi suas possessiones obtinuerunt, audiant. Comes Thurn, & Taxis erexit A. 1574 suis impensis cursum publicum. In hoc genere barbara erant tunc tempora in toto Imperio Germanico; Laniones deferebant litteras sed tantum ad vicina loca, ubi pecora non emebantur, illuc nulla fiebat communicatio, nulla certa rerum transpositio,

cedere fertilitatem terræ, ut ad obtinendum inter utramque æquilibrium omni momento debeat altior lex intervenire, quæ impopulationi modum statuatur, ne intereat genus humanum. Existimat ille, posse assumi, intra decursum 25 annorum impopulationem duplicari; Accidit enim in America, ut eadem intra spatium 10 & 15 annorum duplo major evaserit; Assumendo itaque curriculum 25 annorum a veritate non abluemus. Hoc tamen incrementum tunc tantum potest habere locum, si nulla contagio, nullum bellum, nulla emigratio, aut aliæ causæ illud turbent. Sed tunc etiam licet affirmare, fertilitatem terræ non posse eadem proportione augeri. Dubium est, an adhibitis optimis dispositionibus, & propositis præmiis possit aliquod terrenum intra 25 annos ita excoli, ut alterum tantum de alimentis proferat; Sed posito eo, quod hoc fieri possit, certum tamen est, proxime venturis 25 annis quadruplum non nasciturum, summa enim impensa opera vix habebitur triplum. Hic necessaria est Agriculturæ cognitio, optimi autem oeconomi affirmant, fieri non posse, ut communis ager intra spatium 50 annorum quartam partem fructuum primi anni reddat, imo vix tertiam. Si itaque natura per impopulationem intra 50 annos quadruplo plures homines, & intra 100 sedecim vicibus plures producat, in terra autem per 50 annos tantum in triplo augeat fruges, & per 100 annos solum-

modo in quintuplo, hujus enim fructus summum in proportione arithmetica crescunt; debet instituere depopulationes, atque homines peste, & bello interimere, ne super-viventes deficiant vitæ media.

Opportuna se hoc loco offert occasio animadvertendi, jam modo sustentationem vitæ minime cohærere cum impopulatione, nosque comparate ad procreationem terræ justo plures esse. Inde enim fit, ut ubique audiantur lamenta, deesse modum vivendi, vel hactenus usitatum non sufficere amplius, quo etiam spectant dispositiones multæ tendentes ad restringenda matrimonia. Ratio, cur alimenta tam caro veniant, est, quod pauca producantur. In summa quidem nemo adhuc fame moritur, multis tamen inutilibus laboribus opus est, ut eadem acquirantur; si in majori præsto essent copia, cessarent multæ, modo necessariæ operæ. Inter rus itaque & urbes debita deest proportio; comparate ad cives pauci sunt rustici. Ubi agricultura copiosas subministrat fruges, ibi summatim perpauca numerantur cives. Salutare ergo foret, si numerus hominum in urbibus imminueretur, ruri vero augetur.

Cæterum hodiernum bellum egregie diminuet latrantes stomachos.